



**R.P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, É Societate Iesv, Jn
Collegio Romano Eivsdem Societatis Olim Theologiae
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis, Dispvationes
Scholasticae, & Morales, De virtute, & ...**

Lugo, Juan de

Lvgdvni, 1666

XIII. An possit taceri circumstantia aliqua propter detrimetum, quod sibi
vel alteri Pœnitens timet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82358](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82358)

profanatur dies sacra, & peculiariter destinata ad Dei cultum.

520.

His suppositis probatur, non omne peccatum graue contrahere malitiam grauem contra religionem, necessariò explicandam ex eo, quod fiat in die festo: primò, ex praxi vniuersali omnium pœnitentium & Confessariorum, qui non curant de illa circumstantia explicanda, vel interroganda. Secundò, quia si ibi esset duplex malitia mortalis, multiplicatio festorum magis esset in laqueum: quàm in vtilitatem fidelium, cum experientia confiter, non arceri communiter homines à peccando propter reuerentiam diei festi, & aliundè duplicarentur semper eorum peccata. Tertio, quia suprà diximus circumstantiam loci sacri non esse necessariò explicandam, nisi in certis peccatis, quæ specialiter prohibentur ob reuerentiam loci sacri; ergo eodem modo dici debet, circumstantiam diei sacri esse explicandam solum in certis casibus, & peccatis, quæ specialiter prohibentur ab Ecclesia ob reuerentiam diei sacri, ut opera seruilia, ommissio Missæ, &c. Reliqua enim, licet aliquantulum opponantur reuerentiæ debitæ tali diei: non tamen videntur continere notabilem irreuerentiam, nisi fortè fieret in contemptum diei sacri, aut ex industria, ut profanetur dies sacra, tunc enim non est dubium, quod esset necessariò explicandum.

521.

Dicunt peccatum mortale aduersari notabiliter cultui Dei, qui specialiter intenditur, & præcipitur in die sacra: ergo habet notabilem irreuerentiam contra diem sacram. Respondetur communiter finem præcepti non cadere sub præcepto, & satisfieri ponendo rem præceptam, licet non ponatur finis. Sed contrà, quia cultus Dei non solum est finis præcepti in hoc casu, sed est ipsa res præcepta. Respondetur tamen distinguendo: præcipitur enim cultus Dei non omnis, sed talis, scilicet per vacationem ab opere seruilis, & auditionem Missæ, cui cultui si peccatum opponatur, contrahet specialem malitiam grauem: cultus autem Dei in genere est quidem finis remotus, sed non est res præcepta: nam Ecclesia præcipit quidem vacationem à seruilibus, ut homo liber, & expeditus possit vacare Deo, & orationi: sed hic finis non præcipitur: idèd peccata, quæ omnia opponuntur huic fini, non contrahunt ex eo specialem malitiam grauem. Sicut etiam præceptum ieiunij habet pro fine carnis macerationem, & tamen si aliquis eo die in prandio se ingurgitet, & repletur cibo, & potu, ita ut peccatum etiam graue gula committeret, aut si alia via moraliter illicita carni suæ blandiretur; non deberet in eo peccato explicare circumstantiam ieiunij præcepti: quia licet illud peccatum aduersetur fini remoto, quem præceptum ieiunij intendebat, non opponitur rei præceptæ, quæ solum est talis maceratio carnis per abstinentiam à talibus cibis, & vnicam comestitionem.

522.

Vnde ad Augustinum suprà adductum dici potest verum esse, quod minus malum esset laborare in die festo, quàm alia peccata grauiora committere; hinc tamen non fit alia peccata habere duplicem malitiam specificam, satis est, si habeant vnā multò grauiorem, quàm esset malitia operis seruilis. Similiter in Concilio Colonienſi non dicitur esse confitendam illam circumstantiam necessario, sed solum bis peccari, quod nos etiam concedimus, sed dicimus regulariter non esse obligationem explicandi vtramque malitiam, quia altera ex illis non est mortalis: optimum autem consilium erit illam etiam confiteri. Similiter ad Sanctum Thomam *illo art. 4. ad 3.* Respondetur, cum non dicere,

quod opponitur grauius præcepto, sed solum dicit, quod magis est contra præceptum obseruandi festum quodlibet peccatum mortale, quàm opus corporale licitum, quod sanè verissimum est; nam opere corporali licito nullo modo violatur illud præceptum, sicut violatur saltem venialiter per quodlibet peccatum mortale.

Hinc infero, neque etiam in die Iouis, aut Veneris sancti, nec in die, qua accepta est Eucharistia, omnia peccata mortalia contrahere malitiam grauem necessariò explicandam: quia alioquin Sacerdos, qui quotidie celebrat, deberet in singulis peccatis, quæ facit, explicare illam circumstantiam Missæ celebratæ illo die. Ratio autem est, quam attulimus: quia licet illa circumstantia refundat malitiam aliquem irreuerentiæ specialis, non tamen tantam, ut fiat grauis: sicut neque est locus ita sanctus, in quo omnia, & singula peccata mortalia accipiunt specialem malitiam necessario explicandam.

Addo tamen posse aliquod peccatum ratione temporis sacri contrahere malitiam grauem nouam necessariò explicandam: sicut id diximus suprà posse etiam contingere ratione loci. Exempla autem in præsentem esse possunt. Primò, si illo die Veneris sancti aliquis vellet ludos publicos, comedias, & ludicra spectacula exhibere, sicut in diebus Bacchanalium, illa certè videretur grauissima irreuerentia contra sacratissimum diem passionis Christi Domini. Item si aliquis ab ipso Altari in quo celebrat, iret immediatè ad peccandum cum concubina, videretur etiam grauissima irreuerentia. Nam Ecclesia propter grauissimam irreuerentiam, quæ fieri videtur Sacramento Pœnitentiæ, designat grauissimas penas Sacerdoti, qui immediatè, & proximè post confessionem sollicitat penitentem ad turpia, vel colloquia turpia cum ea miscet, factque illum ab iurare de vehementi, vel de leui propter suspitionem, quam grauissimum illud scelus merito affert. Supponitur ergo interuenire ibi irreuerentiam grauem contra Sacramentum ratione temporis, quo illud peccatum fit. Cur ergo irreuerentia similis contra Eucharistiæ sacramentum non continebit peccatum graue etiam contra religionem ratione temporis, quo fit immediatè post communionem? Hoc tamen non procedit æqualiter in quocumque peccato, quia non omnia afferunt æqualem irreuerentiam, ut in simili dicebamus de loco sacro.

Possèt hic tractari etiam de circumstantia temporis longioris, quo peccatum durat, an debeat explicari: sed de hoc dicemus infra agentes de numero peccatorum explicando. Alij agunt etiam in præsentem de circumstantia duplicis præcepti concurrentis, an debeat explicari, v. g. quod erat præceptum audiendi Missam ex duplici titulo propter festum Apostoli occurrentis die Dominica. De hoc tamen diximus suprà *sect. 5.* agentes de circumstantia, *Quid*, ad quam magis videbatur spectare.

SECTIO XIII.

An possit circumstantia aliqua taceri propter detrimentum, quod sibi, vel alteri pœnitens timet.

Conclusio certa, & communis apud omnes est. Affirmatiua, de qua videri potest Suarez in præfati *seuti, disputat. 22. sect. 2.* Henriquez lib. 5. cap. 12. *num. 5.* Coninch *disputat. 7. dub. 9. num. 75.* qui alios multos referunt. Circa hanc communem doctrinam aduertendum est primò, non sufficere quodcumque leue detrimentum, quod timeatur, nec ex

leui fundamento, sed graue, & ex graui fundamento: tale esset si odium, si publicatio peccati, si eius reuelatio extra confessionem timeretur. Quod tamen, vt bene notauit Coninch, intelligi debet de reuelatione, ad quam ipse penitens non teneatur: potest enim casus esse talis, vt penitens debeat dare licentiam Confessario manifestandi illum extra confessionem, quam licentiam si dare noluerit, Confessarius non possit eum absolueret, quo casu penitens certo timeret reuelationem illius peccati extra confessionem, si velit suae obligationi satisfacere; & tamen non idem excusatur ab eo peccato confitendo: quia illud damnum non est aliud, quam quod necessarium consequitur ex obligatione ipsius penitentis.

Secundò aduertendum est, ita excusari penitentem ab integritate confessionis propter eiusmodi damna, vt debeat tamen, quantum commodè potest, querere alium Confessarium, cui possit integre confiteri, vel adeundo alium, si potest, vel petendo licentiam à proprio Parocho, vel Prælato per se, vel per alium; quam si obtinere non possit, non idem potest ipse eligere alium Confessarium, quia ipse non potest dare alteri iurisdictionem, sed hæc debet procedere à voluntate superioris: poterit tamen tunc reputare se tanquam non habentem copiam Confessarii, & confiteri reliqua peccata omisso illo.

Tertio aduerte, non esse facile fingenda eiusmodi damna, aut pericula, sed cum fundamento ad prudenter formidandum: vt si experientia conseruet, Confessarium illum solere, vel reuelare, vel certe vti postea notitia confessionis in præiudicium alterius, vel ex qualitate peccati, & conditione personæ sit magnum fundamentum; vt si deflorasti sororem, vel nepem Confessarii; de quo dictum est supra circa obligationem manifestandi complicitatem.

Quartò aduerte, in prædictis casibus aliquos dicere, debere explicari illud peccatum, tacendo solum illam circumstantiam, ex qua imminet tale periculum. Sed ego credo, quod frequenter hoc ipsum periculosum erit; nam si aperias peccatum, Confessarius statim interrogabit conditionem personæ, vel circumstantiam illam ad cognoscendam eius speciem; quam si tu neges, iam videtur proponi aliud peccatum specie diuersum ab eo, quod verè commisisti, atque adeo peccatum falsum: si veròingas, te non recordari, aut dicas, te non posse, aut non teneri ad id dicendum; iam ipso das Confessario maiorem occasionem suspicandi, quam vitare volebas; poterit tamen id fortasse explicari cum ea cautela, quam indicabo infra *dub. 1.*

Quintò aduerte, in Religioso rarissime posse habere locum hanc excusationem ad tacendum peccatum reueruatum, quod habet, ne suus Prælatus illud sciat, & noceat sibi: tum quia quod Prælatus præcisè id sciat, & apud ipsum perdas bonam existimationem, quam habebas, non est causa tacendi peccatum: quia, vt supra dixi, obligatio Confessionis integræ iam supponit hoc detrimentum quasi intinsecum, nempe infamiam subeundam apud Confessarium: tum quia sæpè continget, vt Prælatus propter illam subditi confidentiam, & recursum magis afficiatur ad subditum, & magis procuret eius bonum: tum denique quia Prælatus regulariter concedet facultatem Confessario ordinario illam petenti, apud quem Confessarium non est periculum detrimenti extrinseci, vel certe eam facultatem dabit alijs Confessariis, qui eam petent, si sint vici prudentes, & de quibus possit confidere, quod scient adhibere remedium necessarium: quare communiter ex passione, & verecundia prouenit, quod re-

ligiosus fingat sibi causam sufficientem dimidiandi confessionem propter hoc detrimentum, quod timet.

Sextò aduerte, si commodè possit differri confessio, donec possit tota integrè fieri, debere differri, quia præceptum de eius integritate ad hoc obligat. Quæ autem, aut qualis necessitas, vel utilitas sufficiat ad non differendam, sed confitendum non integrè, vide quæ in simili diximus supra *sect. 7.* circa occultationem complicitatis: nam eadem est ratio in hoc casu, & in illo.

Septimò aduerte, si tunc occurrat necessitas sumendi Eucharistiam, & multò magis si occurrat mortis articulus, non posse omitti omnino confessionem, nec sufficere contritionem, sed debere fieri confessionem aliorum peccatorum; quia in ordine ad illa non deest copia Confessarii potentis absolueret, & aliundè virget præceptum confitendi, quantum commodè potes. Cuius contrarium Bonacina *disp. 5. de penit. quasi. 5. sect. 2. punct. 2. §. 4. difficult. 4. num. 14.* tribuit Patri Valquez in *presenti quasi. 91. dub. 8. art. 3. num. 4. & dub. 9. num. 22.* Sed Valquez ibi non loquitur in hoc casu; sed in alio, quando scilicet penitens habet peccatum reueruatum, à quo non potest absolui per hunc Confessarium, cuius copiam habet, quo casu dicit, posse, & debere omitti totam confessionem: quia Confessarius ille non habet iurisdictionem super omnia eius peccata, contra quem diximus *disp. 14. de Eucharistia sect. 5.* Aliud autem est in casu nostro, in quo supponimus, Confessarium habere quidem auctoritatem etiam in illud peccatum, quod propter periculum detrimenti taceretur: quo casu Valquez non dixit, posse omitti confessionem aliorum peccatorum. Imò in casu nostro idem Valquez *dicta quasi. 91. art. 2. dub. 3. num. 2.* expressè dicit, certum esse, quod sine periculo non potest dicere, non excusatur penitens à confessione aliorum peccatorum.

Ex hoc tamen oritur dubium primò, an si non haberet aliud peccatum mortale præter illud, esset adhuc obligatio confitendi. Respondetur, si illud posset dicere in genere, aut in specie non completa, tacendo illam solam circumstantiam, & hoc absque periculo, teneretur quidem illud ita confiteri; quia iam tunc se haberet, sicut qui recordatur, se fecisse aliquod peccatum mortale, & fortasse in tali genere, sed non recordatur speciei; qui certe teneretur illud confiteri; quare etiam in nostro casu esset bonus modus confitendi, dicere: Recordor cuiusdam grauis peccati, quod feci; non occurrit mihi pro nunc, quale fuerit: hoc enim verum est intelligendo de notitia, quæ deseruire possit ad confitendum illud hîc, & nunc absque periculo. Si autem, nec hoc modo posset illud confiteri, non teneretur ad confitenda venialia, regulariter loquendo, quia venialia non sunt materia necessaria confessionis.

Dixi, *regulariter*, quia in mortis articulo propter periculum damnationis æternæ, quod subit si fortè non habeat veram & perfectam contritionem, deberet providere sibi de remedio magis seculo, & confiteri venialia, vt per attritionem, & Sacramentum remitteretur indirectè peccatum mortale, vt fatetur etiam Suarez *dicta sect. 2. numero 6.* Quod idem dicerem, quando debet suscipere Eucharistiam, vel aliud Sacramentum, & solum habet attritionem? tunc enim vt constituat se in statu gratiæ, debet vel habere contritionem, vel confiteri venialia cum attritione vniuersali, vt iustificetur. Imò in articulo mortis credo, quod propter idem periculum circa salutem æternam, teneretur

teneretur aliquod detrimentum proprium subire, quando cum illo solo posset peccatum suum confiteri ad procurandum sibi remedium Sacramenti magis securum.

533.
An de peccato
omisso re-
quiratur con-
fessio?

Secundò dubitari potest, an qui propter illud periculum, & damnum tacet vnum peccatum, & confitetur alia, debeat procurare contritionem perfectam circa illud peccatum, quod tacet; an verò sufficiat habere attritionem de illo, sicut de aliis, quæ confitentur. Ratio dubitandi est, quia circa illud peccatum se debet habere penitens, sicut qui non habet copiam Confessarii; & quia cum illud peccatum non subiiciat clauibus Ecclesiæ, debet querere pro illo remedium contritionis. Dicendum tamen est, sufficere attritionem: quia illud peccatum in ordine ad eam confessionem habet se, sicut peccata oblita, quæ iuxta Tridentinum *sessio decima quarta cap. 5.* comprehensa intelliguntur in ea confessione, hoc est, non in ordine ad tollendam obligationem ea confitendi postea, sed in ordine ad effectum remissionis: quod enim impotentia dicendi illud peccatum oriatur ex oblivione, vel oriatur ex periculo, aut detrimento, quod timetur, materialiter se habet, & in utroque casu confessio manet formaliter integra, atque idè virtus Sacramenti se extendit ad illa etiam peccata, quæ non subiiciuntur directè clauibus, & ita videntur omnes supponere, absque controuersia.

534.
An omitti
possit propter
scandalum
Confessarij?

Tertiò dubitari potest, an sit sufficiens causa taceendi peccatum, scandalum, quod timetur in Confessario, etiam quando non ex fragilitate, sed ex malitia Confessarii provenit, utbi gratia, scemina scit, Confessarium audito tali peccato eam sollicitatur, vel interius peccatum turpi desiderio, an possit, & debeat illud tacere. Nauarrus, & alij apud Suarez *numero 2.* dicunt, quando scandalum est passivum, hoc est, ex malitia Confessarii non esse curandum. Distinguendum tamen est, nam si scemina timeat sibi ex illa sollicitatione periculum consentiendi, vel certe importunas preces, aut instantiam Confessarii, quod non leue incommodum scemina affert, potest illud tacere: si nihil horum timeat, non est, quod curet de malitia Confessarii. Debet tamen observari regula communis, quæ tradi solet in materia scandalii, ut si possit commodè vitari damnum proximi, sine damno nostro, vitari debeat ex obligatione charitatis. Quare, sicut ad petendum Sacramentum ab illo, qui est in peccato mortali, requiritur aliqua specialis utilitas eius, qui petit: sic debet in præfenti interuenire specialis causa excusans ad confitendum huic, & non alteri: videatur Coninch *3. part. quest. 64. art. 6. dub. 5.* & Suarez *tom. 3. disp. 18. sect. 2.* Videatur etiam Thomas Sanchez *lib. 1. in Decalog. cap. 6. n. 16. § 17.* ubi querit, an scemina sciens, se turpiter amandum ab aliquo, possit se eius conspectui offerre: eadem enim ferè ratio est in casu præfenti.

Ultimò queri potest, an qui ob illam causam peccatum in confessione annua tacuit, teneatur postea, data occasione ante finem anni illud peccatum confiteri ad satisfaciendum præcepto confessionis annuæ. De hoc diximus supra *disput. 15. sect. 7.*

SECTIO XIV.

§. 1. De integritate confessionis, quoad numerum peccatorum explicandum.

535.
Regula gene-
ralis.

Diximus de integritate, quoad speciem peccatorum: nunc de numero dicendum est, de quo regula vniuersalis & certa sit omnia, & singula peccata secundum numerum manifestanda esse, si id

commodè fieri possit. In qua regula omnes conueniunt; quia quoad primam partem colligitur ex Trident. *sess. 14. cap. 5. & cap. 7.* quidquid dubitauerint aliqui Canonistæ, & alij, quos refert Suarez *in præfenti disp. 22. sect. n. 1.* Quoad secundam verò partem constat ex praxi, & quia præceptum confessionis obligat humano modo, & ita ut suauiter obseruari possit: quare sicut non obligat ad metaphysicam diligentiam in examine conscientie faciendò; sic nec ad metaphysicam enumerationem peccatorum, sed humanam: magis enim obligat ad dolorem efficacem, ac firmum propositum concipiendum, sine quibus effectus Sacramenti non habetur, quàm ad enumerationem singulorum peccatorum, quæ tanti non refert, cum sine illa detur integritas formalis, quæ sufficit ad confessionem validam, & ad effectum Sacramenti.

Circa hanc regulam vniuersalem quæ sunt potissimæ difficultates. Prima est, vnde sumenda sit unitas vel distinctio numerica peccatorum, ut sit obligatio consuetudi illa, ut duo peccata distincta. Secunda est, quæ sufficiens sit causa ad non enumeranda singula peccata, sed dicendam multitudinem confusam, qua status penitentis manifestetur: ex vtriusque enim huius difficultatis explicatione colligenda est tota moralis doctrina circa explicandum numerum peccatorum.

§. 2. Vnde sumenda sit unitas, vel distinctio numerica peccatorum, & in primis circa peccata externa.

Peccata alia sunt externa, alia merè interna: & in vtriusque difficile assignatur regula pluralitatis, vel unitatis. Incipimus ab externis, utbi gratia, peccato detractionis, contumeliæ, & similibus: queritur, quando dicatur duplex, quando vnica detraçtio. Ex duplici autem capite provenire potest hæc pluralitas. Primò ex pluralitate obiecti, ut si detrahas tribus personis, vel si vno actu occidas tres homines, Secundò ex distinctione inter ipsas operationes, quarum vna sit post aliam. De distinctione proveniente ex primo capite propter multiplicationem obiecti, diximus supra *sectione 3.* & aliquid etià attingemus in hac sectione. Restat præcipua difficultas ex secundo capite, quando scilicet propter successum actionis vnius post aliam debeant censeri plura peccata.

Aliqui dicunt, unitatem peccati debere desumi ex voluntate præterita non reuocata, ex qua procedunt omnes illæ actiones, v.g. qui voluit occidere Petrum, & ex hac voluntate iter facit, quarit arma, comparat necessaria, &c. omnia faciunt vnum peccatum cum occisione, quare sufficit in confessione dicere, *occidi inimicum*: quod semper intelligitur nisi in ipsis mediis esset alia malitia, ut si ea de causa omisit Missam, vel furatus est, aut inducit alios ad cooperandum, hæc enim debent explicari propter malitiam diuersam, quam afferunt. Hanc sententiam teneatur Canus *relect. de penit. part. 5.* Caietanus & Nauarrus apud Vasquez *in præfenti, quest. 91. dub. 5. n. 8.* Quorum tamen sententiam ipse Vasquez ut vera sit, in eo casu intelligendam dicit, ut voluntas præterita propter concatenationem vnius operis cum alio, perseueret, vel formaliter, vel saltem virtualiter, proptèr perseuerantiam in eo, qui ex tali voluntate exit domo; nam ipsa ambulatio oritur ex fine, & facit, quod homo, dum ambulat, dicatur actu peccare. Si autem nihil maneat, ratione cuius dicatur actu peccare, iam interruptitur peccatum actuale præteritum, & postea incipit aliud novum: vnde sola non retractio voluntatis præteritæ